



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

I. Qvæ Causa Sit Pommeraniorum conuertendorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

falernica. Sed de his aliâs. Nunc autem expediendum, quod multis admirationi est, quare videlicet, hi homines tam procul ab oriëntali FRANCIA, & à BABERGENSI Ecclesia, immo à toto pene orbe diuisi non alium quemquam de vicinioribus regnis, vel Ecclesijs baptistam & prædicatorem, quam Babergensem Episcopum habere potuerint. Sed hic fructus ad incrementum beatitudinis eius illi à Deo donatus est.

## INCIPIT LIBER II.

### QVÆ CAUSA SIT POMMERANORVM conuertendorum.

**T**EMPORE quo dominus Episcopus Babergensem regebat Ecclesiam, POLIZLAUS vir strenuus & prudens & ingenuus atq; auitæ nobilitatis decore illustris Ducatum POLONIÆ administrabat. Qui dum se gnauiter ac prouide gereret, omnes terræ suæ terminos sub prædecessoribus suis hostium violentia inuafos & perturbatos, & castra, vrbesq; à sua potestate vi alienatas manu robusta recuperare præualuit. Cumq; bellicos actus suos scælici exitu sæpe prosperari videret, erga Deum quidem à quo sibi sciebat præstari victoriã, humilior atq; deuotior, erga hostes vero erectior atque animosior factus, mutua vice terminos eorum ferro & ignis attemptare, prædasq; & manubias frequenter abstrahere, & personas captiuare solebat, quousque assiduis cladibus ac terrore contracti multis obsequijs & dono-

I.

*Infra Ritheni  
vocalunt.*

& donorum impensis, animum eius delinirent, datisque & acceptis dextris fidem pacis firmissimè pangerent & pacta reciperent. Erant autem diuersi cum quibus diuersis temporibus certamen habebatur ex parte vna **POLONIÆ, BOHEMI, VNGARI, MORAVII**, ex alia **RITHENI**, gens crudelis & aspera, qui **FLAVORVM PRVSORVM** & **POMERANORVM** freti auxilijs acrius, diutiusq; illi restiterunt; sed frustra; qui tandem superati ab eo & contriti post multas clades pacem ab eo postulare cum rege suo decreuerunt. At ille, vt erat bellis ac laboribus semper infractus non continuo de pace acquiescere voluit, nisi prius aliqua memorabili honorificentia satisfactionem accepisset.

### DE EODEM.

II.

**R**EX vero & omnes principes, **RITHENORVM** sine amicitia & pace Ducis, non se quietos fore perpendentes, viam inueniendæ mutæ pacis & gratiæ illius prudentiæ ac fidei committendam præsumserunt. Ille vero hanc honestissimam ratus viam statuendæ ac firmandæ pacis, filiam ipsius regis petiuit & accepit vxorē, videlicet, vt hoc affinitatis commercio, tam principes ipsi, quàm subditi eius terræ vtriusq; populi pacem ad inuicem, haberent perpetuam, atque in necessitatibus & oportunitatibus suis mutuo contra hostes sibi præsidio forent atq; auxilia portarent. Colebant ergo se mutuis beneficijs socer & gener; magnificatusq; est **POLIZLAVS** & confortatus ac prosperatus vndiq; est. Nec vlla ei erat contradictio vniuersis potestatis suæ terminis hoste nullo turbatis. Verum ea perfunctoria & brevis tranquillitas. Nam post paucos annos **RVTENISSA** vxor **POLIZLAI** moritur, vnum tantum ei filium relinquens. Vnde qua-

de qua-